

V C
1413



h.



h. xvii, 26 QK. xvii, 26.

AD

72

Vc
1713

ACTVM ORATORIVM

IPSO

SCHOLAE ILLVSTRIS GRIMANAE

NATALI

D. XVIII KAL. OCTOB. A. R. S. cD̄ 10ccxlv.

IN AVDITORIO MAIORE

PER ACTIS

IN TEMPLO SCHOLAE CONTIGVO

SACRIS MATVTINIS

A SEPTEM ERECTAE INDOLIS ET BONAE

EXSPECTATIONIS ALVMNIS

HABENDVM

OMNES MVSARVM AMATORES

DEBITA HVMANITATE

INVITAT

DE CVRAE AC PROVIDENTIAE DEI IMMORTALIS SIGNIS

IN

FRIDERICVM III.

PR. ELECTOREM SAXONIAE, SAPIENTIS

ELOGIO POSTERITATI COMMENDATVM

PRAEFATVS

M. HENR. AVGVSTVS SCHVMACHERVS

ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR.

LIPSIAE

TYPIS IO. GOTTL0B IMMAN. BREITKOPF.

XII.



ACTVM ORATORIVM

BOCHAE HELVETIS GRIMANAE
MAYARI

IN AVDTORIO MAIORE

IN TEMPIO SCOTIAE CONTINGO

A PERREM ILLIUS...

DEB...

DE CYRAC...

FIELD...

TR. ELICTOREM SAXONIAE, SAPIENTIS
MOTO...

IN HENR. AUGUSTVS SCHWABACHERVS


BOCHAE HELVETIS GRIMANAE

LIPSIAE

THOMAS IO. GOTTLIEB IMMAN. BRUNNIGER

XII





Ex antiquissima Serenissimorum Misniae Marchionum, Ducum, et Pr. Electorum, Saxoniae stirpe neminem facile inuenimus, qui maiore laude, et nominis praedicatione, dignus, quique amplioribus honorum ornamentis mactatus, et plura divinae providentiae documenta, per totum vitae spatium, in se ipso, expertus sit, quam FRIDERICVS III, cognomine sapiens, Saxoniae Dux, et creandis Imperatoribus Romanis consecratus Septemvir. De hoc Principe praestantissimo pleni sunt Saxonum, et Germanorum, imo exterorum etiam, annales, plenae sapientum voces, de eius in utramque rempublicam, et sacram et ciuilem, meritis satis superque exponentes. Cuius praeclara facta immortalitate dignissima, licet plerisque notissima sint, breuiter tamen repetendo, et curae ac providentiae Dei immortalis signa, in eo declarata, admirando, maiorem vim habebunt, et altius in animos iuuenum, et beneuolorum lectorum, demittentur.

Parentibus, antiquitate generis, et gloria maiorum, rerum gestarum memoria, per universam Europam, inelytis, Deo ita volente, natus est, ERNESTO nimirum, Saxoniae Septemviro, et matre, ELISABETHA, antiquissima et celsissima Bavarorum principum familia orta, Ducis ALBERTI III. filia, Torgaviae, d. XVII Ianuarii, a CIOCDLXIII. Quo die natali FRIDERICVS, per singulos annos, divini Numinis gratiam, animo, pietatis pleno, celebravit,

vit, et tot numos aureos, quot annos confecerat, verbi divini praecognitionibus, quos in aula sua habuit, donavit, et pauperibus multa munera ac dona distribuit. Divinum in hoc filio, Principe, Dei gratia sibi dato, ingenium, iudicium acre, et literis addiscendis aptum, serenissimi perspexerunt parentes. Celeberrimus ERASMVS ROTERODAMVS ingenue fatetur, quod dotes a Deo obtinuerit FRIDERICVS insigniter insignes, omniumque sermone solliciti fuerunt praedicti parentes, et Viris, literarum scientia peritissimis, et inter hos praecipue M. VLTRICO KEMMERLINO, commiserunt, qui artibus et scientiis, summo Principe dignis, rite eum imbuerunt, et perspecta ingenii eius docilitate, summaque oris ac vocis suavitate, spem fecerunt, talem hunc Principem futurum, qualem respublica aliquando desideraret. Praeter verbum divinitus revelatum, ex quo Nosser maximam, cum vel legit, vel ex ore sacerdotum audivit, voluptatem cepit, auctores etiam probatissimos latinos, utrumque SENECAM, HORATIVM, CICERONEM, aliosque crebra lectione et perlustratione dignos iudicavit, ex quibus sententias insignes excerptas, schedulisque inscriptas, cubiculi sui parietibus affixit, ut ante oculos semper haberet, et in colloquiis eruditorum aulae Consiliariorum usurparet, quarum non paucas recenset DAVIDES CHYTRAEVS, in Chronico Saxoniae, eleganti stilo confecto. TERENCEII vero elegantissimis ita à prima adolescentia captus fuit, ut in recens condita academia Vitembergenfi singularem Professore constitueret, qui studiosae juventuti eum explicaret, id quod amplissimus IOACHIMVS MÜLLERVS multis verbis commemorat. His literis eloquentiae studium adiunxit, quo tantum effecit, quantum reliqui Principes, virtute praestantissimi, vix armis efficere potuerunt. Quae dicendi facultas, Deo immortalis ita dirigente, maximo ei usui fuit, cum in comitiis, et arduis conventibus, quos sua praesentia tricies ornavit, verba illi facienda essent. Musicam pariter valde amavit FRIDERICVS, quam in fortuna adversa, et negotiis gravioribus oblectamento et solatio illi fuisse, testatur GEORGIVS FABRICIVS, in originibus Saxoniae. Historiae quoque, quam speculum providentiae divinae, et scholam Principum appellavit, cognitione inprimis delectatus est sapientissimus hic Princeps. Quam ita perspectam cognitamque habuit, ut, in gravissimis deliberationibus, exempla ex ea recitaret, et animos summorum Principum, in comitiis, iisdem commove-

Epist. 318. Ed. Leidenf.

p. 52.

In Staats-Cabinet, p. 432.

Lib. VIII. p. 2. 3.

moveret, ad consilia, quae suppeditabat optima, amplectenda. Non conf. vit. fatis habuit, **GEORGIO SPALATINO**, quem magni aestimavit, prae- Reichlini, a
cepisse, ut *Chronicon Saxoniae* in usum juventutis, conscriberet, sed Mato edit. p.
iple Princeps laudatissimus *Compendium Historiae* scribendum susce- 190.
pit, in quo series temporum, et imperiorum summorum, enarrare
voluit. Ad historiam praecipue Saxoniam, ex annalium, et moni-
mentorum, vetustate eruendam, multum curae contulit sapientissimus
FRIDERICVS, viros, eruditione claros, ex cuncta Germania, ad
Symbolas conferendas benignissime invitans, id quod ex epistola **SPA-**
LATINI, ad **IO. REVCHLINVM**, apparet. Dignum est erudi- Libr. 1. ep. 9.
tum celeberrimi **CHRISTIANI GOTTLIEB BVDERI** Professoris
academiae Salanae, programma, de **FRIDERICO** sapiente, Pi.
El. Saxoniae, historiarum patrono, et propagatore, Ienae editum, An. 1731. 4.
quod de hoc argumento legatur. De quo **FRIDERICI** amore, in
historiae studium, **LVDOVICVS PETRVS GIOVANNVS**, in Ger- Notit. do-
mania principe, tacere non potuit, sed, veritate convictus, omni- mus Sax. p.
laude ornandum duxit. Mirum proinde nemini videri debet, si 10. 53.
„**AVENTINVS** magni nominis scriptor, confirmat: „quod **FRI-**
„**DERICVS** sapiens omnium totius Europae Principum gravissi-
„mus, reipublicae, et rerum Germanicarum peritissimus assertor,
„Musarum patronus, et literarum promotor optimus fuerit.„ In cuius
honorem Carmen etiam elegantissimum confecit, quod in fine
annalium Bojorum legitur, cum duabus Epistolis, ad **AVENTINVM**,
a **FRIDERICO** scriptis.

Tantis animi dotibus, et tanta rerum scientia, ex optimis
auctoribus hausta, cum divino praesidio instructus esset **FRIDERI-**
CVS, virtutibus etiam egregiis elucere, earumque splendore, ita
augeri coepit, ut nemo illo excellentior inter Germaniae Principes
haberetur. Longum omnino, et Lectori molestum foret, si omnes
eius virtutes jam enumerare susceperemus. Silentio tamen praeterire
non possumus, hunc Principem, Dei dono ac munere patriae datum,
pietatis in Deum amantissimum fuisse. Singulis enim diebus arden-
tissimas ad Deum immortalem preces fundere contendit, et nullum
facile negotium arduum, sine divini Numinis imploratione, auspi-
catus est. Cultui divino, in coetu sanctiori interesse, summa ei
voluptas fuit, et assidua Scripturae S. lectione ita se oblectavit, ut
hoc Symbolo: **Verbum Domini Manet In Aeternum**, una cum fra-

vid. Esa. Maio-
ris oratio, de
bono princi-
pe in Fride-
rici exemplo.



tre, IOANNE CONSTATE, velut communi tessera, usus fit, quod GEORGIVS SPALATINVS testatur, qui, duce et suo fore, FRIDERICO, explicationes multorum Scripturae S. librorum, in lucem prolatas fuisse, fatetur. Saepe Princeps noster optimus dicere solitus est IO. STAVPICIO, Augustinianorum Vicerio praesente: „Conciones, quae hominum traditionibus constant, mirifice frigere, neque ad persuadendum quicquam conferre; scripturam vero sacram tantam habere vim et efficaciam, ut hominum animos flectere et solari posset. Addidit: quod Scriptura S. sit „digitus Dei, et quod nudus homo nunquam ita loqui potuisset.„ Hinc non immerito divina providentia factum esse iudicamus, hunc Principem tam mature animum oraculis divinis inbuisset, in iisque tam egregie versatum fuisse, cuius auspicio et cura, doctrina verae religionis, ex limpidissimis Scripturae S. fontibus, opera divi Lutheri aliquando proferenda erat.

Et quia, ex omnibus virtutibus, clementia summum exornat Principem, eaque Regum et Imperatorum dos prima appellatur, hac etiam FRIDERICVS noster maxime clarus fuit, et in ipsa iustitia, qua uti potuisset, eius rationem habendam curavit. Multi civium, et rusticorum, de clementia eius testabantur, quibus vel exiguum damnum, inter venationes institutas, ab equitibus suis, segetes proterentibus, illatum, duplo reddidit, et aliquot frumenti modis ipsis distribuit. Indigne tamen tulit, cum intellexit, temere à nonnullis, ex suis ministris, id factum esse, eaque de re in aulam reverfus, coenam illis omni pane privatam, praebere iussit. Quo ipso in animum illis revocare voluit, equitibus, levioris animi hominibus, segetes proculcantibus, usum panis merito subtrahendum esse. Hoc vero clementiae eius specimen, in cives suos, praedicant, et collaudant omnes, quod pecuniam à suis exigendam noluerit, sed eam in civium arcis et sereniis melius conservari, et augeri, quam in aerario suo, et illum Principem potentissimum esse, qui divites habeat cives, existimavit. Neque tamen in delictis gravioribus puniendis remissus unquam fuit, et ne viris quidem, dignitate et opibus valentibus, capitis poenam, numerata etiam pecuniae summa, remisit, quo iustitiae satis fieret. Exemplum huius virtutis, ab hoc Principe editum, recenset IACOBUS FABRICIVS, in auctis Saxoniae originibus, de annu quadam egena, de iniquitate sententiae, à consiliariis aulicis,

contra se, latae, conquerente, et literis supplicibus ab Electore pe-
 tente, vt, pro sua clementia curaret jus sibi aequum decerni. Quas
 literas Elector consiliariis legendas tradidit, in eosque gravissime in-
 vectus est, qui iustitiae oblitus, secundum juris formulam, et aequi-
 tatem, sententias non pronuntiarent. „Exinde colligo, inquit,
 „vos duplici juris iniqui, et aequi, modo uti, et huic pauperulae in-
 „juriam intulisse, quae aequum jus tantopere expetit. Iubeo itaque,
 „ferio, ut in posterum iusto modo agatis, et jus cuique ex aequo tri-
 buatis.„ Liberalitate erga omnes fere ita quoque usus est hic Prin-
 ceptis optimis, eaque laudes suas ita auxit, ut scriptores munificen-
 tiam illius verbis satis exprimere nequeant. Cuius iter in Palaestinam, an. 1497.
 ut tum erant tempora, pararet, septimo post divi patris obitum anno,
 supremam voluntatem tabulis consignandam iussit, ut si quid humani
 in itinere sibi accideret, pauperibus literarum cultoribus, stipendia
 amplissima decernerentur in academia. Parem liberalitatem erga te-
 nuioris fortunae homines, qui, unde vitam sustentarent, non habe-
 bant, praebuit, in maxima annonae caritate, quae in annum vigesi-
 mum quartum, supra milleimum quingentesimum incidit. Tanta
 benignitate miseros et afflictos homines, extra patriam degentes, hoc
 famis tempore complexus est, ut ex granariis suis, et horreis, quae
 instructissima semper habuit, certum frumenti medimnorum nume-
 rum, vili admodum pretio, divendi iuberet. Civibus vero, sibi sub-
 iectis, quo familias alere, et sementem facere possent, vel mutuo,
 vel gratis, cum non essent solvendo, daret, et testamento caveret, ne
 quid ab iis, post obitum suum repeteretur. Erga sacerdotes, et di-
 vini verbi praecones, imprimis liberalis fuit FRIDERICVS, quos
 in dies fere, et maxime in natali suo, quod supra commemoravimus,
 novis beneficiis exornavit, et moriturus, GEORGIO SPALATINO,
 quem a concionibus, et confessione, habuit, praeter stipendium an-
 nuum, centum et triginta florenos, per singulos annos legavit, ita, v. vit. Spalat. à
 Sagitario. ed
 p. 19.
 vt ab illo tempore floreni circiter quadringenti eidem numerarentur.

Concordiae ac pacis amator insignis fuit FRIDERICVS,
 quod bonum divina gratia ei tributum, merito fatemur. Summo-
 rum et potentissimorum animos, inter se dissidentes, ad concor-
 diam et pacem pariter commovit, suisque consiliis, prudentia plenis,
 eo res redegit, ut, dissidiis remotis, in gratiam redirent. Multa
 huius rei exempla in medium proferre possem, nisi temporis et spatii
 aucti-

in libro: an
milites in
beato statu
vivant.

Ad an. 1525.

v. Mülleri
Annal. p. 97.

angustia prohiberet. Animus, fortitudine praeditus, ipsi non defuit, si ita res ferret, ut bellum contra hostes esset gerendum. Interim saepe de se ipso, quod divus LUTHERVS testatur, dixit: „Ego ne-
mini facile bellum movebo, neque bellum incipiam, sed si, aliis
moventibus, necessitas pugnandi mihi imponetur, faciam, ut intel-
ligant, penes me, ac in mea potestate, atque arbitrio positum esse,
quando, abjectis armis, pax constituatur.„ Cum fratre, IOANNE-
Principe, uno semper animo, unaque mente, vixit, ita, ut nun-
quam eum, aut verbo ullo offenderit, aut ulla in re ei adversatus fue-
rit, aut ullo tempore cum eo in gratiam redierit. Multis verbis com-
mendat duorum fratrum horum concordiam IO. SEB. MÜLLERVS,
in annalibus Saxonis, eamque per quadraginta annos, sine ulla
simultate, et discordia, viguisse, et hos ipsos provincias, praeter ele-
ctoratum, communi sententia et suffragio, administrasse. Quae ani-
morum conjunctio, sicut praecipuo Dei immortalis dono, his fratribus
ferenissimis concessa est: ita res patriae hac ipsa, in eorum regimine,
creverunt, ut omnes ordines florentissimo etiam statu fuerint. Ipse
FRIDERICVS sapiens hoc singulare Dei beneficium saepe praedi-
cauit, praesertim eo tempore, quo cum fratre, IOANNE, Torga
Vitembergam, Albi, fluvio, navigaret, et ambo prope urbem navi in
ripam egressi essent, carina navis, ingenti recens solutae glaciae mo-
le innatante, fissa, et asseres, dissoluti diffuerent. Intuentes in ripa
hoc spectaculum Principes coniunctissimi, perpendunt, quanto in peri-
culo iam versati fuerint, agnoscunt merito, navem, divina providen-
tia esse servatam, donec ipsi ad terram sine offensione, pervenerint.
Quod divinum beneficium FRIDERICVS pio gratoque animo sta-
tim celebravit, inquit; „Deus, pro benigna sua voluntate, vin-
culum concordiae nostrae dirumpi noluit.„ Quod vero navis,
nobis salvis, dilacerata sit, vereor profecto, ne, post fata nostra,
navis nostrae, id est, domus Saxonicae, dilacerationem portendat:
Hoc vaticinium IOANNIS FRIDERICI magnanimi temporibus,
impletum esse, multi arbitrantur.

Bono patriae ergo hic Pr. Elector FRIDERICVS civibus,
in Saxonia, a Deo datus et conservatus est, quos omnes summa ani-
mi moderatione, ac mirifica lenitate, gubernavit, et paterna sanc-
tura salutem eorum auxit.

Prin-

Principibus vicinis, cum quibus societatem ineundam ac confer-
 vandam esse statuit, auxilia submisit, ad reprimendas copiarum
 MATTHIAE, regis, reliquias in Lusatia, quas ipse pariter profligan-
 das, et patriam armorum metu liberandam, curavit. Prope Tor-
 gaviam pontem lapideum in Albi, flumine, exstruendum iussit. Vi-
 tembergam praecipue ornandam curavit, et arcem in hac urbe condi-
 dit, et templum huic contiguum, multis monumentis condecoravit.
 In aedificiis, in hac urbe exstruendis, multum operae ac curae con-
 sumpsit, singulisque annis circiter duodecim florenorum millia, ad
 arces, et aedes, patriae condendas, impendisse dicitur. Hoc vero
 non sine Dei praepotentis nutu ac voluntate factum esse, arbitramur,
 FRIDERICVM, sapientiae laude praeclarum, urbem, Vitemb-
 bergam, tam egregiis beneficiis et ornamentis dignam, iudicasse,
 in quo loco, brevi post, Academia constituit, et in ea lux veritatis
 evangelicae, Deo ita dirigente, ope D. LVTHERI, accendi
 debebat.

v. Kirchmaie-
 ri diss. de Vi-
 temberga.

Initia deliberationum, de hac academia, divini Numinis prae-
 sidio suscepta, et divinitus etiam gubernata fuerunt. Quod totum
 opus mirandae omnino, et divinae, instauracionis, propagationis,
 et conservacionis doctrinae purioris, inter tot insidiarum, molitionum,
 et bellorum impetus, signum fuit, de quo ANDREAS SENNERTVS,
 in Athenis Vitembergenfibz, tacere non potuit. Cum enim MA-
 XIMILIANVS I. Romanorum Imperator, in comitiis Wormatiens-
 fibz, anno MCDXCV. de studiis literarum excitandis, et promovendis
 sollicitus, septem viros Germaniae commoveret, ut quisque aca-
 demiam in suis provinciis institueret, FRIDERICVS, Dei benefi-
 cio Saxoniae commodatus, motu quasi divino incitatus, omnem
 curam, omnes cogitationes, ad constituendam academiam, adhibuit,
 usus in hoc laudabili instituto consilii MARTINI POLLICII,
Franci, patria Mellerstadii, trium facultatum Doctoris, excellen-
 tis ingenii, ac doctrinae, fama celebris Viri, Lipsia ad se evocati.
 Hic Vitembergam, aliis Saxoniae urbibus, academiae aptam praetulit,
 et Principi electori eo in loco erigendam suavit. Quo audito FRI-
 DERICVS subridere coepit, locum adeo lutosum et vilem sibi ad hoc
 opus commendari. MELLERSTADIVS tamen, divino instinctu
 commotus, suae sententiae inhaesit, licet nonnulli aulicorum re-
 moram injicere auderent, et animum Principis Electoris confirma-
 vit, ut Deo consideret, neque locum, a quo majores serenissimi

p. 16.

1495.

T. VI. declam.
 Mel. p. 398.

septemviralem dignitatem consecuti essent, sperneret. Et cum fidelissimum quoque adiutorem, in hac academia adornanda, Principis frater germanus ERNESTVS, Magdeburgensis Antistes, se praeberet, qui neque pietate, neque amore literarum, cuiquam Germaniae Principum concedebat, FRIDERICVS, rebus omnibus probe perspectis, consilium MELLERSTADII tandem approbavit, et inaugurationis academiae diem, qui erat XIIX. Octobris, anno MDII. praeslituit, postquam a MAXIMILIANO I. Caesare, haec academia confirmata, et privilegiis ornata fuit. Professores, ante inaugurationem, ex academia Erfurtenensi, Lipsiensi, Tubingenfi huc euocati sunt, viri fama et doctrina excellentissimi, quorum opera haec academia, Deo ita volente, verae rerum sacrarum, et omnis elegantioris doctrinae, domicilium, omniumque piarum in Germania scholarum metropolis, auctore CHYTRAEO, facta est. Inter hos doctores academiae nobile illud par fuit, MARTINVS LVTHERVVS, Erfurto, e coenobio Augustiniano Vitembergam veniens, qui Doctoris Theologiae honoribus, sumtibus FRIDERICI sapientis, ornatus est, et PHILIPPVS MELANCHTHON, ex IO. REVCHLINI, viri eximia eruditione praeclari, sorore natus, Tubinga acutus, et ad sapientiam, et litteras elegantiores docendas, divinitus excitatus. Ut de reliquis nouae academiae professoribus, ob temporis angustiam, nihil iam addam. MARTINVS POLLICHIVS, alias MELLERSTADIVS, Lipsia Vitembergam accessit, quem FRIDERICVS in pretio habuit, ob egregiam eruditionem, integritatem, prudentiam, gravitatem, et fidem, difficillimis in rebus et calibus domi forisque perspectam, cui, ut primo academiae Rectori, fasces academiae commisit. Quo factum est, ut brevi tempore multis ex locis literarum cultores Vitembergam advolarent, et quadringenti et sexdecim, unius semestris spatio, eo venirent. Majoribus indies beneficiis florentissimam hanc academiam, quam *filiam* suam appellitare non dubitavit, cumulare coepit FRIDERICVS, et convictum publicum, in quo permulti studiosi, vili admodum soluto pretio aluntur, instituit. Non dicam de stipendiis, huic academiae tributis, quibus studia egenorum juvenum sublevantur. Et cum bibliothecam non minimum academiae ornamentum fore, optime sciret FRIDERICVS, summum illius, in hac comparanda, studium exstitit. Quandoquidem non in Germania tantum rariores libros inquirendos iusserat, sed in ipsa quoque Italia codices manuscriptos per-

Seckendorf.
Hist. Luther.
Lib. I. §. 73.

Chron. Sax.
P. 52.

Melanchth.
declam. t. 6.
P. 349.

vestigandos curavit, ope virorum doctissimorum, in quo numero, praeter GEORGIVM SPALATINVM, CONRADVS RVFVS MV-
TIANVS, et HENRICVS VRBANVS, fuerunt, de quibus TENZE-
LIVS in praefatione Historiae Gothanae, legendus.

In hac academia, divino auspicio instituta, et conservata, mirabili sane modo D. LV THERVS de emendanda religione cogitavit, et non tantum in praelectionibus publicis ac privatis, S. Theologiae cultoribus, fundamenta purioris doctrinae, ex sacro codice, instillavit, sed positiones etiam XCV, anno MDXVII prid. Kal. Nov. valvis templi, arci contigui, contra impudentes IO. TEZELII, indulgentiarum infitoris nundinationes sacras, affigendo, meliora et saniora docuit. Ex quo instituto, Deo suafore et adjutore, suscepto, primordia emendationis religionis merito derivanda sunt. Supremi certe Numinis providentia factum esse credimus, FRIDERICVM sapientem, lectis D. LV THERI libris, ad puriorem doctrinam redactum, et in vera religione indies confirmatum esse. Somnio quodam commemorabili, eoque divino, ad amorem emendatae religionis FRIDERICVM ea nocte, quae diem omnium sanctorum, anno MDXVII praecessit, in arce Svinitensi excitatum esse, illustris SECKENDORFIVS, experientissimus ANDREAS SENNERTVS, celeberrimus TENZELIVS, clarissimus IVNCKERVS, in vita Lutheri, et M. IMMANVEL WEBERVS, in oratione, de veritate somnii FRIDERICI sapientis, testantur, licet amplissimus D. CHRIST. AVGVSTVS HEVMANNVS, in *Luthero apocalypico*, aliter sentiat. Ipse profecto Deus, summus rerum humanarum arbiter fuit, qui animum FRIDERICI D. Lutheri coeptis propitium ac benignum reddidit, neque adversariorum furori hunc pium et eruditum Doctorem tradendum permisit, et quod in hac academia nova in dies vera religio incrementa cepit. Id quod Doctor FLECCVS, prior cœnobii *Steinlauffig*, ad Moldam, fluvium, prope Bitterfeldam, pro concione publica, vaticinatus erat, bonis omnibus hanc academiam prosequens, et ad oppidi nomen alludens: *Ex hoc candido sapientiae monte flumina sapientiae, et vitae, in universum mundum redundatura sunt.*

Chytraeus
Chr. Saxon.
p. 146.

Non igitur ex privato commodo, aut rationibus civilibus, priora et emendatiora sacra, jam revocata, amplexus est FRIDERICVS noster, sed amore veritatis, et lucis evangelicae, agitatus



id fecit, id quod, pro more, solidis firmisque argumentis, contra recententes PALLAVICINI, MAIMBURGII, VARIILLASII, aliorumque, calumnias demonstravit summe reverendus et magnificus Dn. D. VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS, supremæ curiæ sacrae Consiliarius, et sacrorum Dresdensium Antistes, multis meritis cumulatissimus, in singulari dissertatione, Vitembergæ, anno MDCXCVII, habita.

Hic Princeps igitur, qui sapientis elogio, quod supra omnes laudes est, uti Deo curæ fuit, ita aliis etiam principibus, regibus, et Imperatoribus Romanis, in deliciis permanfit. Tribus Imperatoribus fidem et constantiam suam probavit, FRIDERICO nempe III. avunculo suo, itemque MAXIMILIANO I. qui patris loco eum habuit, et CAROLO V. qui omni honore et veneratione dignum iudicavit, et nihil facile, sine eius consilio suscepit.

v. Schurzfl. in
diss. de Friderico
sapiente
p. 10. 11.

1712.
Nucl. Histor.
p. 193.

T. II. p. 791.

Schurzfl. c. I.
p. 6.

Fabric. O. S.
p. 870.

an. MDXIX.

Divino pariter nutu ac arbitrio factum est, ut bis *interrex et provisor*, sive Imperii Romani vicarius, factus sit, post obitum nimirum FRIDERICI III. et MAXIMILIANI I. Caesarum Romanorum. De quo argumento multa observavit celeberrimus MENCENIUS in dissertatione de FRIDERICO sapiente, vicario imperii Romani, Lipsiæ habita. Neque minus illustris GLAEFF, Consiliarius regius, Lipsiæ habita. Neque minus illustris GLAEFF, Consiliarius regius, dubia, hac de re à multis mota, resolvit. Hac dignitate ornatus tanto studio, tantaque vigilantia ac prudentia res Germaniæ gessit, ut virtutes, à Deo datas, magis magisque illustraret. Amplior ejus laudibus accessit cumulus, quando MAXIMILIANVS tanti eum aestimavit, ut extra fines Germaniæ in Italiam profecturus, dignum censeret, cui *Rektoris imperii Romani* munus committeret. Leguntur passim diplomata, in collectione scriptorum de rebus Misnicis à MENCENIO edita, in quibus illi titulus assignatus conspicitur, *locum tenens imperii Romani*. Et in Germanicis: *Römischer Kaiserlicher Maiestaet und desselben Reichs-Stadthalter General*. Priusquam vero hunc titulum usurpavit, supremi Consiliarii dignitatem obtinuit, prout ex tabulis, et numismatibus, constat, in quibus appellatur: *Kaiserlicher Maiestaet oberster Rath*. Quo dignitatis splendore non alius, iis temporibus, principum condecoratus fuit, et nos non possumus, quin fateamur, eum sapientissimi Principis, et a Deo immortalis tot tantisque dotibus ornatissimi, documentum fuisse, qui dextra imperii Romani ductus.

Hoc vero sempiternæ cedit laudi, a Deo tributæ, FRIDERICO optimo, quod post mortem MAXIMILIANI I. oblatam Imperatoris

toris dignitatem, recusavit, et, spreta hac gloria, veram obtinuerit. Duo erant tum temporis potentissimi hujus dignitatis augustissimae competitores, CAROLVS, Hispaniarum rex, MAXIMILIANI, ex filio, PHILIPPO, nepos, et FRANCISCVS, Galliarum rex. Ex Principibus Electoribus alii hunc, alii illum, eligendum suadebant. Prudentioribus vero consultius videbatur, ut CAROLI, jam dicti, ratio haberetur. Sed pridie eius diei, quam electio instituenda erat, haec dignitas imperatoria ad FRIDERICVM, Saxonem, communi omnium suffragio, deferrebat, et per tres integros dies in eo consistebat. FRIDERICVS vero, pro concessa sibi a Deo prudentia, et fide in domum Austriacam, suffragium suum CAROLO, nepoti defuncti Caesaris, Gallo repudiato, dedit, et omnes facile electores, instar *Nestoris Germanici*, in suam sententiam pertraxit. Lectu digna sunt praeclari illius instauratoris literarum apud Belgas, ERASMI ROTER. verba, quibus in epistola ad *Ioannem, Episcop. Roffensem*, de hoc argumento utitur: „Dux Saxoniae FRIDERICVS, „post quaedam interjecta, ab omnibus delatum imperium ingenti ani- „mo recusavit, idque pridie, quam CAROLVS eligeretur, cui nunquam „contigisset imperii titulus, nisi FRIDERICVS deprecatus esset, clarior „honore contento, quam fuisset, adeptus. „ Cur vero hanc dignitatem recusaverit noster, expeditas habuit causas. Siquidem, praeter ingravescentem senectutem, et tempora, quae inflabant, periculosissima, in merita MAXIMILIANI I. contumeliosum fore, putavit, si ad alium, quam ad eius nepotem, CAROLVM, imperium deferretur, et domus Austriacae, de tota Germania tam praeclare promeritae, ratio minus haberetur. CAROLVS, in grati animi tesseram, pro studio et suffragio, FRIDERICCO centies mille aureos offerendos curavit, quos vero recusavit, suisque, in aula viventibus, ministris serio praecepit, ne ullus quicquam muneris a Carolo acciperet. Neque existimandum est, FRIDERICVM primum fuisse, ex Marchionibus Misniae, et Ducibus Saxoniae, cui haec summa dignitas fuerit oblata. Circa tempora CAROLI IV. eadem occasio, imperii Romani capiendi, FRIDERICCO II. Marchioni Misniae, cognomine gravi, suppeditata est. Sed tantum abest, ut hic amplexus fuerit, ut potius jure suo cesserit, et id CAROLO iam dicto, reliquerit. Qua ex re nemini non satis constat, quantam praepotens Numen, omni tempore serenissimae domui Saxonicae auctoritatem, ac dignitatem, concesserit, ut ex ea principes digni habiti sint, qui non tantum res Germaniae omni prudentia administrarint, sed imperatores etiam electi sint.

Praecipua et plane singularia divinae providentiae documenta ex-

Libr. 13. ep. 4.

v. Albertus Ar.
gentinens.
Chron. p. 145.

a. 1480.

Albinus in
Chron. Mifn.
P. 454.Conf. Müller.
c. 1.

c. 1.

Memorab.
Sax. 426.Chytraeus
Chr. Sax. p. 146

pertus est FRIDERICVS sapiens, in variis itineribus, quae subinde in exteras, et longe distitas suscepit regiones. Primum iter, una cum divo parente, ERNESTO, fecit in Italiam, qui Romae, a Pontifice Romano, Sixto IV, aurea rosa donatus fuit, quae postea templo Cathedrali Misennensi illata fuit. In hoc itinere cum varias urbes, mores populorum, et alia, memoratu digna spectasset, et in mari, fluvii, et viis, multis periculis expositus fuisset, in totius Saxoniae solatium, et civium spem, a Deo conservatus, et patriae redditus est FRIDERICVS. Post obitum patris iter in Palaestinam, pro ratione illorum temporum, instituit, anno MCDXCIII. Antequam vero id factum est, supremas tabulas consignandas curavit, in quibus, si quid humani in hoc itinere accideret, itemque de rebus patriae, et futuro successore, constituit, et egenis literarum cultoribus, in academia degentibus, stipendia multa decrevit, de quo supra diximus. Posuit etiam, ante hanc profectionem, Torgaviae, templi, ad sacram Crucem, primum lapidem, idque Deo consecravit, vt iter, quod animo meditabatur, felici auspicio, et cura divina, abfolveret. Sic Deo duce, et comite, die XIX Martii, praediecti anni, id ingressus, multis stipatus comitibus, nobilibus, et civibus, quorum nomina SEBASTIANVS MÜLLERVS consignata reliquit. In quo itinere religioso FRIDERICVM III. imperatorem Rom. salutavit, qui peramanter eum excepit, indolem eius egregiam admiratus, et abituro torquem aureum, pretioso ornatum adamante, dono dedit. Venetiis, sub tutela divina, movens, Hierosolymam tandem pervenit, et, praeter omnem spem in *Sultanum*, ibi tum commorantem, incidit, cui FRIDERICVS, reverentia ductus, manus porrexit. Quas cum Turcarum imperator contrectaret, statim iudicavit, eum non inferioris fortis hominem, sed summo et excelso loco, natum esse. FRIDERICVS brevi post, ut evitaret pericula, sibi imminetia, ex hac urbe discessit, et in Saxoniam, sub praesidio divino, redire maturavit. Fidem plane singularem, Deo ita moderante, in hoc itinere FRIDERICO praestitit *Mellerstadius*, saepe laudatus, qui eum, a balneis avocatum, conservavit, quae, post hausta liberius vina Cretensia, abstergendarumque sordium causa, eodem tempore ingressus CHRISTOPHORVS, Bavariae Dux, et, paucis post diebus, ardente febris affectus, subita morte extinctus erat. Cuius obitu percussus Princeps noster, et eadem febris correptus, summi Numinis gratia, et cura *Mellerstadii*, hoc morbo gravissimo liberatus est.

Sic felici tandem auspicio, et cura coelesti, ex terra sancta, anno MCDXCIV in patriam reversus est, postquam MAXIMILIANVM I.

FRIDE-

FRIDERICI III. filium, et successorem, convenerat, quem, ob parentis obitum pro sua, qua pollebat, eloquentia, solatio erexit. Laeti omnes erectique recipiebant patriae patrem Saxoniae cives, ex multis itinerum difficultatibus divinitus conservatum, sibi que restitutum, quem omnia in Saxoniae salutem, et totius Germaniae tranquillitatem, in posterum etiam confecturum, confidebant.

Et quia hic sapientissimus Princeps se hominem esse natum, et morti obnoxium non ignorabat, ad beatam mortem mature et religiose admodum se praeparavit. Post CAROLI V. Caesaris, electionem annos fere sex adhuc vixit, gravibus tamen morbis aliquoties conflictatus est. Ex conventu Francofurtensi, redux tota fere hieme laboravit, ita, ut venenum ei illatum fuisse, nonnulli existimarent: Cruciatu non leves exinde sensit, dixitque saepius, se ne inimico quidem, eiusmodi dolores optare. Deus vero, divina sua virtute, eum servavit, et pristinae valetudini restituit. Interim supremas tabulas, iam antea confectas, paulo immutatas, renovavit, et suasit fratri, IOANNI, ut cives per verbi divini ministros, in vera religione erudiendos curaret, et omnia in patriae salutem administraret. Ipse Elector egregiam fidei et religionis verae confessionem ante mortem declaratam edidit, quam D. IO. TRV-TENBALIVS, Ictus, in oratione de FRIDERICO sapiente exhibet, quae lectu dignissima est. Contra acutissimos calculi, quo etiam laborabat, dolores, et mortis impetum, verbis Servatoris nostri optimi se erexit: „Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, ego vos reficiam.“ Quod oraculum, una cum aliis, a SPALATINO, in memoriam revocatis, sumtis antea epulis sacris, sub utraque specie, in sui solatium, saepe repetiit. Tandem Deo ita jubente placida morte vitam finit, in arce Lochaviensi, in praefectura Suinicensi, ex qua Annaburgum postea enatum, et quidem in coelibatu, anno MDXXV die V Maii, sexaginta duos annos, et tres menses natus. Corpus tumulo Vitembergae templo arci contiguo, a se condito, prope aram, Lochavia eo deductum, illatum est. Ritus exequiarum ex consilio LUTHERI, MELANCHTHONIS, PAULI DIDYMI, iussu novi Electoris, celebratus est. Quemadmodum igitur vivi hujus Principis, velut statoris et praefidis sui, imaginem eruditissimi viri inter res pretiosissimas retulerunt: ita defuncti memoriam sancte venerati, laudesque eius certatim profecuti sunt, et posteris etiam excellentissimi ejus animi imaginem tradere laborarunt. Longe dignissimum judicarunt omnes hunc Principem, cujus dotes, singulari Dei gratia ei concessae, perpetuo colerentur,

inter

v. Kreyfigil
diplomat.
Nachlese p.
XI. n. 3.
Tom. III. decl.
Mcl.

v. Mülleri An-
nal. p. 78.

v. Bufta Electr.
Saxon. glori.
Haußii p. 31.

22K 2/1713



inter quos divus LV THERVS, MELANCHTHON, CAMERARIVS, EOBANVS HESSVS, IO. BVSMANNVS, IO. STIGELIVS, IO. ROSINVS, BALTHASAR MENZIVS, DRESSERVVS, THVANVS, BVCHHOLZERVVS, quos doctissimus BECKERVS, in dissertatione, de FRIDERICO III. commemorat. Monumentum sepulchrale, in memoriam optimi hujus Principis erectum, in collectione rerum Misnicarum MENCKENII legitur, quod Vitembergae, in templo supra commemorato, conspicitur.

T. II. p. 871. Nunc ad dicendi exercitationes, quae juventutis studia, auctore PLINIO, haud parum alunt, ingenia excitant, et, ne muta maneat industria, praestant, nos convertimus, indicantes specimina juvenum politissimorum, ipso scholae, illustri natali, die XVIII. Kal. Octobris, iussu nostro, recitanda:

CAROLVS HENRICVS OPITIVS, *Rochliciensis, oratione latina, in prosa, demonstrabit, quantum tres scholae provinciales Saxoniae, communi Germaniae Praeceptorum, PHILIPPO MELANCHTHONI, debeant.*

IOANNES AVGVSTVS ESSENIUS, *Gomeranus, inquiret in causas, cur mularum scholae publicae, his temporibus, decrementum capiant, Carmine epico.*

CAROLVS FRIDERICVS MVLLERVS, *Brandisensis, studia, quae ad humanitatem pertinent, futuro S. Theologiae Studio maxime necessaria esse, oratione latina, comprobabit.*

IOANNES BERNARDVS HIERONYMVS MEISNERVS, *Schlibena Saxo, adolescentibus, literarum in scholis cultoribus, ex consiliis Magistrorum, fide et eruditione cognitorum, studia pertractanda esse, patrio sermone, declarabit.*

CHRISTIANVS GODOFREDVS KLEPIVS, *Heburgensis, discipulorum scientiam, discendi cupiditate, augeri, oratione latina, in prosa, probabit.*

GEORGIUS FRIDERICVS KETTNERVS, *Vitembergensis, felicitatem Saxoniae praedicabit, qua, praesidio potentissimi Regis Poloniae, et Pr. Electoris Saxoniae, AVGVSTI III. his temporibus fruitur, oratione germanica.*

AVGVSTVS FRIDERICVS SCHNEIDERVS, *Geyrba Misnicus, Germaniam, pacis amore flagrantem sistet, Carmine Germanico.*

Hos optima spei juvenes ut omnes Musarum fautores civitatis Grimanae, praedicto die, peractis sacris matutinis, benevole audiant, etiam atque etiam rogamus. P. P. D. XVIII. KAL. OCTOB.

CIO DCCCXLV.



hc

o-
s,
s,
I.
us
gi-
nr.
re
n-
oo-
flu

fa,
ver-

mul-
.
ma-
esse,

ado-
le et
abit.
cien-

taxo-
tovis

iam,

rima-
n at-

h at
mobi
grab
moy

ULB Halle

3


008 307 024



Wolp







B.I.G.

Farbkarte #13

72
Vc
1713

AD
ORATORIVM
 IPSO
 ILLVSTRIS GRIMANAE
 NATALI
 AL. OCTOB. A. R. S. MDCCCXLV.
TORIO MAIORE
 PERACTIS
SCHOLAE CONTIGVO
 RIS MATVTINIS
 CTAE INDOLIS ET BONAE
 TATIONIS ALVMNIS
 HABENDVM
 VSARVM AMATORES
 A HVMANITATE
 INVITAT
 IDENTIAE DEI IMMORTALIS SIGNIS
 IN
ERICVM III.
 M SAXONIAE, SAPIENTIS
 STERITATI COMMENDATVM
 PRAEFATVS
VSTVS SCHVMACHERVS
 RIS MOLDANI RECTOR.

LIPSIAE
 OTTLOB IMMAN. BREITKOPF.
 XII